

CCCXI. *Tragopogon*.

856. *Tr. major*. Fl. t. c. II. III. n. 1564. Mihi non visus, et forte intellectus non planta Jacquini sed subsequens.
- \*857. *Tr. campestris*. Sympheropoli frequens, etiam in Taur. merid. circa Nikitam. Fl. Majo. A praecedente differt involucre 8 nec 12 phyllo flores flavos minus excedente, foliis multo angustioribus. Achaenia pappum aequantia cum illo exacte duas uncias longa, angulis crebre tuberculatis, sub insertione pappi barbata. Pedunculus sensim incrassatus usque ad 2''' diametro. Caulis 1—2 floribus, raro ultra.
858. *Tr. livescens*. Mihi ignotus nisi huc referendum specimen *Tr. dubii* in h. berol. culti a De Candollio huc tracti cui involucre floribus parum longius, corollae luteae et purpurascens.
859. *Tr. pratensis*. Fl. t. c. II. n. 1562. In Tauria non inveni, nec Ledebour specimina taurica vidit. Circa Theodosiam citat d'Urville.
860. *Tr. undulatus*. Fl. t. c. II. III. n. 1563. Specimina taurica legere neglexi; caucasicis et ad Borysthenem inferiorem nascentibus seminum rostrum vix ullum, annulus sub pappo imberbis. Achaenia angulis valde aspera.
861. *Tr. floccosus*; ex auctoritate Ledebourii enumerato, mihi non occurrit nec auctori. Fl. t. c. v. III. n. 1563.
- \*862. *Tr. brevirostris*. Huc refero plantam in valle Sudak lectam, orgyalem glabram superne parum ramosam, foliis rectis nec convolutis nec undulatis,

achaeniis totis muricatis annulo barbatis pappo non-nihil longioribus. Aliam etiam in Tauria legi foliis tantillum undulatis et apice convolutis, flore quoque simillimam, sed pedunculo sub ipso flore lanuginoso. *Tr. podolicus*, *lithuanicus* et *caucasicus* Besseri secundum specimina ab ipso autore missa specie inter se non differunt, nec a nostra diversa videntur.

863. *Tr. elatior*. Glaber caule ramoso ramis elongatis unifloris apice lanuginosis non incrassatis, foliis radicalibus oblongo-lanceolatis undulatis caulinisque longe acutatis, involucro 8 phyllo flores subaequante achaeniis muricatis pappo longioribus erostratis. In montibus supra Laspi legit Compère. — Caulis 3—4-pedalis. Folia radicalia fere pedem longa usque ad duos pollices lata. Corollae utrinque pallide flavae magnitudine *Tr. pratensis*. Achaenia cum pappo ultra unciam longa. Hujus varietas ibidem nascens folia habet multo angustiora, caulina etiam undulata.

864. *Tr. mutabilis* in Tauria a Boebero lectus, admodum dubius, a nemine postea visus. Planta hujus nominis astracanica a *Tr. rubro* non differt ut jam autor fl. t. c. III. n. 1563 suspicatur.

### CCGXII. *Scorzonera*.

865. *Sc. humilis*. Fl. t. c. II. n. 1565. Ego in Tauria non vidi nec Led. in fl. r. habet.

866. *Sc. crispa*. Fl. t. c. II. n. 1566. In promontorio passim, etiam in montibus altioribus. Variat caule vix spithameo et sesquipedali, uni et 2—3 floro, foliis duas lineas et ultra pollicem latis planis et undulatis, involucri squamis acutis et obtusis, sem-